



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 7. Vtrum cognatio spiritalis quæ nascitur ex Baptismo vel  
confirmatione, sit impedimentum dirimens, & inter quos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Primus gradus lineæ rectæ irritat iure naturæ.

esse irritum Iure naturæ. Vbi nota: In hoc primo gradu affinitatis, esse hos; vitricum & priuignam, nouercam & priuignum, focerum & nurū, focrum & generum.

Probatur Primò: Prioris ad Corinthios 5. v. 1. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui quis habeat.* Vbi Apostolus insinuat esse contra legem naturæ.

Probatur Secundò: Leuitici 28. talia matrimonia puniuntur penà mortis, sicut patris cum filia, matris cum filio, aui cum nepte, fratris cum sorore, quæ suprà diximus esse Iure naturæ irrita: cætera leuioribus pœnis puniuntur.

Probatur Tertio: Quia nunquam auditum est Ecclesiam in his gradibus lineæ rectæ dispensasse. Neque in lege veteri vlla exempla Sanctorum existunt.

171 In linea transuersa primus non irritat iure naturæ.

Dico Secundò: In primo gradu affinitatis lineæ transuersæ non est irritum Iure naturæ matrimonium, multoquæ minus in secundo & tertio. Vbi aduerte: In primo gradu lineæ transuersæ, esse v. g. Petrum, & vxoris eius sororem; item vxorem Petri, & fratrem Petri.

Probatur Primò: Deuteron. 25. præcipitur, vt frater ducat vxorem fratris sui defuncti sine liberis. Genesis 38. Iudas dedit Thamar duos filios suos successiuè maritos. Genesis 29. Iacob accepit duas sorores.

Dispensant in eo Pontifices.

Probatur Secundò: Quia sæpè à Pontificibus est dispensatum. Alexander VI. cum Emanuele Rege Portugallia dispensauit, vt duas sorores filias Regum Catholicorum successiuè haberet. Iulius II. cum Henrico VIII. vt Catharinam filiam Ferdinandi vxorem fratris Arcturi sine liberis defuncti. Innocentius III. dispensauit cum Liouonibus, vt manerent cum vxoribus fratrum, quas in infidelitate acceperant; vt patet Capitulo finali, de *Diuortijs*.

Nec obstat, Quòd Matthæi 14. v. 4. Ioannes dicebat Herodi, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: nam frater viuebat, vt refert Hieronymus in hunc locum; vna autem nõ potest simul esse vxor duorum. Deinde, etsi fuisset mortuus frater, non tamen licuisset propter legem veterem Leuitici 18. Nam frater reliquerat semen ex Herodiade, puellam saltatricem; vt testatur Chrysostomus homil. 49. in Matth. Solum autem poterat frater accipere vxorem fratris defuncti, quando ille absque liberis defunctus erat.

DVBIVM VII.

*Virum cognatio spiritalis, quæ nascitur ex baptismo, vel confirmatione, sit impedimentum dirimens, & inter quos?*

172

Respondeo: Hæc cognatio est impedimentum dirimens inter baptizantem, confirmantem, & suscipientem ex vna parte, & baptizatum, confirmatum, eiusque patrem & matrem ex altera parte: non autem inter alios. Patet hoc ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 2. *de Reformatione matrimonij*, vbi cognatio spiritalis restringitur ad paternitatem & comaternitatem. *Confraternitas* omnino tollitur, qualis est inter baptizatum, & filios baptizantis vel suscipientis. *Paternitas* verò & *comaternitas* ex parte tollitur, scilicet inter baptizantis

Hæc cognatio est restricta per Trid.

vel suscipientis coniugè, aut concubinam ex vna parte, & baptizatum eiusque consanguineos ex altera parte. Vide multos Canones hac de re 30. qu. 1. & in tit. *de Cognatione spiritali*. Ratio horum omnium est: quia sicut decuit, vt cognatio carnalis ob reuerentiam consanguineis debitam, & ad amicitias propagandas dirimeret matrimonium: ita etiam decuit, vt cognatio spiritalis dirimeret matrimonium; cum illæ causæ hic quoque locum habeant.

Petes: vt vtrum hoc impedimentum contrahatur ex baptismo minus celebri in extrema necessitate collato?

173 Oritur etiã hæc cognatio ex baptismo minus celebri in extrema necessitate collato.

Respondeo: Hoc impedimentum omnino contrahi ex tali baptismo, non solum inter baptizantem & baptizatum, sed etiam inter leuantem & baptizatum, eiusque parentes: quod est contra Sotum. Ratio est: quia hoc impedimentum dirimens nascitur ob Sacramentum, non ob eius solemnitatem. Nam ratione Sacramenti non solum baptizans, sed etiam leuans fit parens spiritalis infantis.

Aduerte: In hoc impedimento quod ortum est ex baptismo dato in extrema necessitate, iuxta Sotum, posse Episcopum dispensare ad matrimonium contrahendum, quando non esset facillimus ad Urbem transitus.

DVBIVM VIII.

*Quandonam à Patrinis contrahatur hæc affinitas?*

Respondeo: Hanc affinitatem non contrahi à Patrinis dum portant infantem, vel etiam dum tenent in Catechismo: sed, cum tenent eum quando actu baptizatur; vel cum leuant eum de sacro fonte, iuxta communioem sententiam. Nec refert an respondeant nomine infantis, an non. Quod est contra Hostiensem.

174

Petes Primò: Quot possint esse Patrini?

Respondeo: Ad summum duo, iuxta Tridentinum suprà. v. g. vnus & vna. Vnde maritus & vxor possunt eandem prolem suscipere. Neque Episcopus potest dispensare vt loco vnus viri & vnus mulieris, duo viri suscipiant, vel duæ mulieres; vt respondit Congregatio Cardinalium. Vide quæ diximus q. 67. a. 7. & 8. de Baptismo.

Duo solum sint Patrini

Petes Secundò: An ista cognatio possit contrahi per Procuratores?

Respondent plerique non posse contrahi. Vnde quando Princeps aliquis per procuratorè suscipit infantem, Principè non contrahere cognitionem, sed procuratorè ipsius, qui tangit vel leuat. Ita Couarruias 2. p. de Sponsalibus cap. 6. §. 4. n. 6. Siluester V. Matrimonium. 8. quæst. 7. §. 14. Soto dist. 24. quæst. 1. art. 2.

Quidam negant hæc cognitionem contrahi per procuratorem.

Contrarium tamen est tenendum cum Panor- mitano in Cap. *Veniens*, de Cognatione spiritali: quia Congregatio Cardinalium instituta ad explicandum Concilium Tridentinum, respondit eum qui leuat, aut tenet procuratoris nomine, nullam contrahere cognitionem spiritalè. Quod sanè multo magis rationi est consentaneum: quia procurator non agit suo, sed Principis nomine. Vnde Princeps censetur leuare; sicut in contrahendis sponsalibus & matrimonio fieri videmus.

Verius affirmari.